

debeat dicto domino regi et ejus successoribus in regno et corona et ipsi corone reputanti dictum regnum et presidentibus pro ipsa corona in perpetuum annuatim ducatorum septem milia boni auri in auro et boni et justi ponderis, solvenda dicto domino regi et ejus successoribus et corone et presidentibus predictis, vel thesaurariis ipsorum et cuilibet alii habenti idoneam potestatem recipiendi solutionem predictorum septem milium ducatorum et de ipsa solutione quietationem, absolutionem, et liberationem debitam faciendi per procurationem seu sindicu*m* dicti Communis in festo sancti regis Stephani vigesima die Augusti cuiuslibet anni, vel ante dictum festum. Qua solutione facta quietationem et liberationem de receptis facere teneatur et teneantur nuncio et sindico Venetorum. Quod si nullus predictorum ibi esset, tunc consignent et deponant dictam pecunie quantitatem vel pignora aurea vel argentea infrascripta infra viginti dierum termini inferius descriptorum. Et quod dicta pecunia risico, et periculo Communis Veneciarum portetur usque ad civitatem Jadre; et ibi et ab inde in antea usque ad civitatem Bude et in Buda per officiales et gentes dicti domini regis, successorum et corone debeat salva fieri et sociari et conduciri risico et periculo dicti domini regis, successorum et corone predictorum. Sic tamen quod si postquam dicta pecunia pro parte dictorum venetorum in Jadra conducta fuerit, ut prefertur, aliquo casu fortuito perderetur, intelligatur et sit dictum Commune Veneciarum liberatum penitus et quitatum de ipsa quantitate predicta. Conducatur tamen expensis dicti Communis Veneciarum quantum de vectura et nuncio seu sindico venetorum. Et si dicta solutio dictis loco et tempore facta non fuerit, tunc procuratores vel sindicus nomine dicti Communis Veneciarum teneatur et debeat se presentare coram suprascriptis vel aliquo eorum, quibus ut supra dicta solutio fieri debetur infra viginti dies proxime subsequentes et ponere et conducere et realiter consignare eo modo quo dicta pecunia conduciri debetur, ut supra, in Buda tot pignora aurea vel argentea equivalentia dicte quantitati septem milium ducatorum,